Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



322 370

In illo tempore Dixit dominus discipulis suis et turbis iudeorum Sicut pater suscitat mortuos et uiuificat: sic et filius quos uult uiuificat Neque enim pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio: ut omnes honorificent filium: sicut honorificant patrem Qui non honorificat filium: non honorificat patrem qui misit illum Amen amen dico uobis: quia qui uerbum meum audit: et credit ei qui misit me: habet uitam eternam: et in iudicium non uenit: sed transit de morte in uitam

Fratres Nolumus uos Ad thessalonicenses ignorare de dormientibus: ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent Si enim credimus quod iesus mortuus est et resurrexit ita et eos qui dormierunt per iesum adducet cum eo Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini: quia nos qui uiuimus qui residui sumus in aduentum domini non preuenemus eos qui dormierunt quoniam ipse dominus in iussu et in uoce archangeli et in tuba dei descendet de celo: et mortui qui in xpo sunt: resurgent primi Deinde nos qui uiuimus qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam xpo in aera: et sic semper cum domino erimus Itaque consolamini inuicem in uerbis istis

In illo tempore Dixit dominus discipulis suis Amen dico uobis: quia uenit hora et nunc est quando mortui audient uocem filii dei: et qui audierint uiuent Sicut enim pater habet uitam in semetipso sic dedit et filio uitam habere in semetipso Et potestatem dedit ei et iudicium facere: quia filius hominis est Solite mirari